



Nr. 13.


14

IO. AVG. NOESELTI  
DE  
P R E C I B V S  
IN N O M F N E I E S V C H R I S T I

DISPVVTATIVNCVLA

AVCTORITATE ACADEMIAE FRIDERICIANAE

S C R I P T A.



---

HALAE  
F O R M I S H E N D E L I A N I S.  
M D C C L X X I I I .

IRREGULAR  
TRANSLATION  
OF THE  
BIBLE



TAIAH


THE END

**J**

In disciplina Christiana extremum & ultimum, quo sint omnia bene sperandi recteque faciendi principia referenda, hoc est: quod Deo gratiosi simus propter Dominum nostrum Iesum Christum, qui non modo Dei consilia transtulerit ad nostram cognitionem, sed nobis quoque morte sua verissimam Dei benivolentiam conciliauerit. Enimvero, quoniam vel optimus quisque mortalium ita se indignum hoc beneficio, ita saepe se nouis peccatis implicatum, omninoque ita virtutis, &, vbi Deus vel gratis propter fidem propitius esse velit, ipsius fidei inopem se sentiet: vel sic sublata videri posset spes fructus ex hac Dei liberalitate capiendo, nisi Christus ipse auctoritate sua confirmasset, fore, ut, quaecumque *suo nomine* rogauerimus Deum, certo certius consequeremur. (Io. XIV, 13. XV, 16. XVI, 24). Hac consolationis plenissima promissione quis ita parum moueat, ut non sitienter appetat hunc verum salutis fontem, nec captet oblatam opportunitatem consequendorum quorumcunque bonorum quae ad bene beateque viuendum pertinent? quis fidem ac spem tali liberalitate pronocatam non alat ac roboret diligent commentatione: si Deus pro nobis ipsum filium suum dederit, nihil esse bonorum, quod non cum cum illo impertiat? quis conscient imbecillitatis miseriaeque suae, non amplectatur firmiterque teneat tam suam, quamquam veterem, sapientiam, quae in commendandis precibus, vim suam ab infinito Christi merito habentibus, medium aduersus animi pauores paratissimum ad comparandumque facillimum offert?

A 2

Sed



Sed videmus esse qui vereantur, ne haec omnis spes de tali precum genere inanis sit. Neque enim hanc promissionem fatalem aiunt Christianis vniuersis, sed Apostolis: nec illud *nomen Christi* ad ea pertinere quae Christus nostri caussa suscepit, quaeque, tamquam momentum, nobis beniuolentiam Dei concilient, ut fidenter per huius modi preces sperare possimus nos, quidquid petierimus, consecuturos esse; sed ad Apostolos referri, qui Christi nomine, hoc est in eius ex orbe terrarum discendentis locum suspecti, Deum pro Christi nomine h. e. super religionem Christi illustranda et latius propaganda, implorare deberent. Negant igitur spem esse; ut Deus satis faciat precibus quibuscumque, quae & propter ea quod profiscuntur a vera fide posita in eo quo Christus Deum nobis propitium reddiderit; nihil tale exspectandum, nisi cum petierimus, quae ad propagandos doctrinae Christianae fines pertineant; nec, ut illi quidem statuere videntur, tali fide opus esse ut Deus has preces audiat; ab earum arguento, non fundamento, ut ita dicam, omnem spem huius beneficii pendere. Neque vero diffitemur, saepenumero eos dici agere aliquius nomine, qui eius loco aut de illius mandato faciant aliquid, itemque nomen Christi aliquoties usurpari de eius doctrina et dignitate, nec, contextum sermonum Christi apud Ioannem vicunque consistere cum illa interpretatione posse; neque sumus ii, qui loquendi usum cum contexto, interpretandi principium non agnoscamus. Verum tamen, ut non statim consequens est, si verba per se aliquem sensum offerant, eum illis quoque in coniunctione subiectum esse, de qua re, quoad hanc caussam afficit, postea videbimus; sic vicissim nec communis verborum, de quibus quaeritur, interpretatio, vel a loquendi consuetudine vel ab orationis contexto aliena dici potest. In hac igitur sententiarum aequabilitate non quaeritur, an interpretatio aliqua possit esse vera? sed, vtra sit verior? quod nisi constitui per usum loquendi et coniunctionem sermonis possit, alia erunt praesidia ad eam rem definiendam querenda.

Magna

Magna quidem vis ad constitutandam veritatem sensus est  
in analogia doctrinae, non sic, ut ius fasque putetur, si de aliqua  
doctrina sacrarum scripturarum constet, eam statim transferre ad alium  
quemcunque locum, quod vitium in interpretando maximum  
agnoscimus, at ita tamen, ut non modo nihil in interpretando ad-  
mittatur, quod formae doctrinae alii in locis euidenter traditae  
repugnet, sed etiam interpretanda conformatur ad illam analo-  
giam, *primum* si neque usus loquendi neque orationis contextus  
aut scribentis consilium obstat, et in loco ipso nihil reperiatur quod  
inter plures interpretationes unam alteri praferendam esse suadeat,  
*deinde* si modus loquendi, cuius sensum querimus, alteri, quo  
doctrina perspicua traditur, tamquam forma suo generi, simili-  
fit. Namque in omnibus siue disciplinis tradendis siue libris illu-  
strandis, vel ipse communis sensus iuber omnia referri ad sum-  
mam doctrinae, ad principia alibi perspicue tradita, ad caput  
causae, e quo ceterae disciplinae aut libri partes intelligantur;  
neque hoc magis ineptum putari debet, quam quod in ambigui-  
tate sensus eum sequamur qui maxime obuius, usitatus, et con-  
fuetudine frequentatus sit. Et cum de genere significationis con-  
stat, cui, tanquam forma s. species, is, qui in disputationem  
cadit, modus loquendi subiectus est, quis dubitare possit an hu-  
ius sensus illius generis significationi accommodandus sit, nisi, for-  
mam e genere intelligi posse, stultissime neget?

Atqui, cum sacrae scripture de beneficiis a Deo in nos  
conferendis loquuntur, clare nobis ea concedi tradunt propter  
Christum, propter amorem Dei erga eum, qui nos illi morte  
sua placauerit. Sic Paulus ad Rom. III, 24. 25. iustitiam ait nobis  
a Deo tribui propter redemtionem PER IESVM CHRISTVM,  
propter fidem IN EIVS SANGVINEM; atque idem saepenumero  
ad Ephef. I. v. 3. cuiuscunq[ue] generis beneficia ad animos no-  
strorum pertinentia ( $\pi\alpha\tau\alpha\gamma\sigma\lambda\gamma\pi\alpha\mu\alpha\tau\alpha\gamma\pi\alpha$ ) concessisse Deum PRO-  
PTER CHRISTVM; v. 4. nobis intaminatam sanctitatem item-  
que (v. 5.) cooptationem in numerum filiorum suorum destinasse

PROPTER IESVM CHRISTVM, nosque (v. 6.) benivolentia  
 respexisse PROPTER ILLVM DILECTISSIMVM; PER  
 QVEM (v. 7.) h. e. PER CVIVS SANGVINEM expiati simus  
 a peccatis. Quare Petrus 1 epist. II, 5. Deum dicit viictimis  
 nostris πνευματινοῖς h. e. bene factis nostris delectari PROPTER  
 IESVM CHRISTVM. Quo modo propter illum? Haud  
 dubie modo eo, quo Petrus Christianos v. 9. appellat γένος ἐκλεκτῶν,  
 λαόν εἰς πρεγονίστων, sed eos c. I, 1, 2. ἐκλεκτὲς dixerat pro-  
 pter γένοτους αἰχματούς I. X. h. e. quoniam adspersi essent s. expia-  
 ti sanguine Iesu Christi. De qua re omnem dubitationem tollit  
 excellentissimus locus Paulli ad Ebr. XIII, 21. vbi Perficiat vos,  
 inquit, Deus in omni recte facto, vt agatis ad eius voluntatem,  
 sic ut efficiat in vobis quod ei placeat PROPTER IESVM CHRISTVM.  
 In quo non negamus verba διὰ Ιησοῦ Χριστοῦ coniungi  
 posse cum participio ποιῶν, vt Iesus Christus positus sit pro eius do-  
 ctrina v. Evangelio, hoc sensu: vt per doctrinam Christi in vo-  
 bis efficiat quod ei probetur. Sed quo minus hanc concedamus  
 coniunctionem, impedit non modo locus similis, quem modo e  
 Petri epistola commemorabamus, sed multo magis etiam ipse con-  
 textus verborum Paulli Apostoli. Nam paullo ante haec verba  
 Christum v. 20. dixerat magnum illum ovium pastorem per san-  
 guinem perennis foederis i. e. qui profuso pro nobis sanguine suo  
 sanxit illam promissionem Dei de condonandis peccatis nostris &  
 largienda felicitate sempiterna, vt vere possimus colere Deum im-  
 mortalem, quem ad modum loquitur cap. VIII, 14 seq. Et ver-  
 su 15. sectionis XIII. ad Ebraeos Per eum, inquit, igitur sem-  
 per offeramus Deo sacrificium laudis -- nec intermittite libera-  
 litatem & beneficentiam, talibus enim sacrificiis delectatur Deus.  
 Quid hoc est Per eum? Nempe quem ad modum, vt est v. 1,  
 sanguis animantium, tamquam viictima expiatoria in sanctuarium  
 inferebatur per pontificem maximum (haec sunt ipsa Paulli verba)  
 sic Iesus quoque suo sanguine populum expiavit; quam ob rem  
 sacrificium, quod laude continetur tantum ob beneficium offeren-  
 da

26

3

27

da , non alio sensu dicitur *per Christum* offerri, nisi quod ille sit  
is, qui gratiosos nos Deo reddat atque ei laudes & beneficia no-  
stra proberet.

Quod si igitur haec clara est & perpetua librorum diui-  
norum doctrina, destinata nobis esse beneficia Dei ab eoque exspe-  
ctari debere *propter Christum*: in promptu est colligere, in his  
quoque locis , ubi Christus petere iubet a Deo *in nomine suo* s*f* per  
se, intelligendum esse, fore, vt Deus nos audiat amore erga Chri-  
stum, qui nobis cuiuscunque generis beneficia sua morte parauerit.  
Id enim doctrinae analogia postulat , nec sensus is, qui subiectus  
est formulae *propter Christum* in enunciatis iis, quae sunt de be-  
neficiis vniuersis, alias potest esse in illis quae spem faciunt bene-  
ficiorum per preces *propter Christum* adipiscendorum. Nec pu-  
ramus quemquam fore qui dubiter eadem haec prorsus esse posse:  
*propter s*f* per Christum et in Christi nomine*; nam ii ipsi qui a  
nobis dissentunt , fatentur *nomen* alicuius pro illo ipso dici, et si  
hac in forma dicendi negarent vnum illud pro altero substitui de-  
bere , vel uno isto loco ad Coloss. III, 17. conuincerentur, ubi,  
quod prius erat *ἐν ὀρόπατι Κυρίες Ἰησοῦ*, statim declaratur ab ipso  
Paulo *per διὰ αὐτὸν*.

Admonet nos hic locus , vt aliis argumenti mentionem  
faciamus, eiusque primarii, quod ductum est ex ipsius linguae  
analogia et constanti loquendi vsu in omnibus formis, quae, de-  
precibus praecipientes, nomen alicuius s*f* eum commemorant, *per*  
*s*f* propter* quem fieri preces et audiri debeant. Etenim si in  
formis: *gratias agere Deo per s*f*. propter Christum v*o*. in nomine*  
*Christi*, aut: *invocare Deum ut aliquid in nomine suo faciat*,  
nullo modo intelligi potest, quod gratias *loco* Christi et in eius  
quasi locum suffici agamus, aut *propter* eius *doctrinam* quam  
Deus fortunauerit, sed *propter* ea, quae Christi beneficio obti-  
nuimus: eadem vis, dubitari non debet, quin etiam formis de pre-  
cibus *in Christi nomine tribui* debeat. Deum igitur quiescun-  
que rogant, vt audiat, vt proprius sit, *propter nomen suum*, e.



c. Ierem. XIII. 7. Psalm. CVIII. 21. CXLIII. 11. et alibi, quis non videat Deum rogari, ut id *sui caussu* faciat, accommodate ad misericordiam suam, quod & declarandi *caussa* additur in quibusdam locis? indicari igitur id quo Deus ad audiendum moueat? Porro Paulus Rom. I. 8. gratias agit Deo suo propter s. per *Iesum Christum*, quod fides Romanorum celebretur in viiuerso terrarum orbe. Illud per *Christum* quid sit, haud scio an declaret cap. XV. 17. sq. neque enim dissimilis est ille locus, cum sit eiusdem argumenti. *Laetor*, inquit, *de causa Dei* h. e. illustri propagatione Evangelii inter gentes, PER CHRISTVM IESVM. Quo modo per eum? Neque enim, pergit, *austim gloriari*, nam nihil est, quantum quantum est, quod non CHRISTVS per me & verbis & factis efficerit, ut gentes ad obsequendum Evangelio adduceret; plane ut Christus loquitur in locis Ioanneis de precibus in nomine Christi: quodcumque rogaueritis in meo nomine, id ego faciam. Quod si praeterea meminerimus Christum tories dicere, quae ipse faciat, patrem suum facere ad gloriam Christi illustrandam, cum yna esset vtriusque causa, veluti Io. V. 36. 37: non alio sensu Paullus pronunciauit, se gratias agere Deo per Christum, nisi hoc, quod Christus fortunauerit Apostoli studia in propagando Euangelio, ac potius Deus iis fortunandis illustrauerit honorem Christi; quod profecto fecit multis ad eius cognitionem adducendis, qui instar mercedis essent pro exantlatis tot cruciatis et molestis, ut loquitur Esaias c. LIII, 10. seq. Similiter Paullus Rom. VII. 25. *gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum*, quod me videlicet liberauerit εν τα σωματος τα θεατρα, a libidinum mortifera compage, ita, ut, quem ad modum in contextu Apostolus copiose demonstrat, quidquid ab his libidinibus ablatus faciam, nullo modo vel imputet mihi vel vlciscatur Deus; ubi perspicuum est per *Christum* esse i. a. id quod Christi pro me mortui beneficio debedo. Quam ob rem, cum Paulus Col. III, 17. iubet ut, quidquid vel verbis vel factis, id omne nomine Domini Iesu suscipiamus, & gratias agamus

mus Deo patri *per eum* siue, vt est Ephes. V, 20, *in nomine* D. N. I. C.; non alia sententia his verbis subiecta esse potest, nisi sic nos in omni re siue fruenda siue perpetranda versari debere, vt grati agnoscamus, vsum bonorum nobis a Deo propter Christum concessum esse, sanctum esse quidquid ita suscepimus, nosque in eo vere probari Deo propter Christum, qui omnia quasi sanctificat, quem Deus amet, cuius in amoris communionem hac pietate veniamus. Qua re satis aperitur quo sensu rogare Deum *in nomine Christi* iubeamur. Iam si quis tamen in hac interpretatione a nobis dissentiat, magisque probet aliquam superiorum sententiarum, certe audiamus, quae dicta in sacris libris proferre possit, quibus doceatur, hanc formam: *in nomine Christi* sic usurpari *in simili* quidem *verborum coniunctione*, vt necesse sit intelligi: *Christi loco aut eius ad religionem propagandam*. Quod nisi demonstratum fuerit, alienus hic erit sensus, et praecepto Christi, vel repugnante vsu loquendi, obtrudetur.

Sunt etiam alia in istis verbis Christi, quibus illud de precibus in nomine suo praeceptum illustrat, quae supra propositam interpretationem confirmant. Negat enim Christus (Io. XVI, 24) discipulos suos adhuc quidquam petuisse *nomine suo*. Quid! nihil omnino petiissent, vt Deus eos iamdudum a Christo ad Euangelium propagandum confirmandumque miraculis emissos adiuuaret? vt fortunaret Euangeli cursum? vt ipse suae caussae per eos prospiceret? illi videlicet, quos Christus iampridem sui laboris et muneris socios fecerat, quos ipse docuerat petere vt eius regnum veniret (Matth. VI, 10), quos in ipsa dimissione ad docendum admonuerat de rogando Domino vt fideles in messem suam operarios emitteret (Matth. IX, 38, seq.)? Satisne perspicuum est, eo referri illud *nomine meo*, nullo modo posse? Rogauerant hoc certe, nec tamen eo modo, quo nunc Christus iubebat; nempe non in nomine Iesu Christi, sed, quod frequentabantate Iesu Christi aduentum, in nomine ipsius Dei, cuius generis formulas paullo ante commemorauiimus, in nomine patrum, Abrahami,

Isaaci, Iacobi, Davidis (Deut. VIII, 27. Psalm. CXXXII, 1. & 10. Esai. LXIII, 17. 11.), in nomine denique suo, uno verbo, propter singularem Dei beniuolentiam, quam Deus & Israelitarum maioribus, tanquam eorum Deus, & ipsi huic genti, tamquam suae, confirmauerat. Neque vero hic tractare lubet quaestione: numquam ne veteris Testamenti temporibus Deum in Christi nomine inuocauerint? ad quam sententiam iuberet Christus, ut nunc, cum venerit, numquam immemores sint, vel in precibus, Christi, cuius beneficio Dei beniuolentiam debeant vniuersam, & vero etiam propter eum quaecunque bona a Deo & petant & sperent. Nec, qui ita sentiunt, propter ea statim probant errorem eorum, qui negant spem credentium in Veteri Testamento in Christo positam fuisse; nedum tollunt verissimam illam sententiam: nullum propter alium, nisi propter Christum, hominibus salutem contingere. Id quidem certum est per tot formulas ab Apostolis post Christi discessionem usurpatas, quibus se agere aliquid vel ab aliis agendum esse in nomine Iesu Christi profitentur, voluisse Iesum, ut in se Christum agnoscerent, atque, cum in nomine suo inuocarent Deum, illa bona se propter Iesum, tamquam Christum, consecuturos sperarent; quo modo verba eius: Apostolos adhuc nihil quidquam Deum nomine suo rogasse, intelligi possent in hanc partem: quod adhuc in Deo inuocando nondum ad Iesum prouocassent, tamquam qui Deum hominibus propitium reddidisset. Atque sic per hoc praeceptum perspicue discerneretur natura & ratio precum Novi Testamenti propria post perfectam redemtionem generis humani, ab ea quae regnauerat V. T. temporibus, ubi, quis futurus esset ille dudum promissus Christus, ignorauerant, cum, Iesu post aduentum, eius in persona facile Christum agnoscerent. Sed quomodo cunque videantur, ipsa vis disunctionis precum *in nomine Christi*, & aliarum, quas adhuc adhibuerant Apostoli aliorum *in nomine*, postulat, ut harum ubi ratio cognita fuerit, ad eam illarum sensus dirigatur; quare, cum in formis: rogare propter Deum, propter Deigentem, propter eius patres, haud

haud dubie exprimatur id, quod Deum ad audiendum mouere debet, necessario intelligitur: formulae: in nomine Iesu rogare, eandem vim tribui debere.

Neque negligenda est coniunctio huius modi precum *in nomine Iesu*, cum declaratione eius se auditum has preces, se, quod rogauerint, facturum (Io. XIII, 13. 14.); quae, ut perspicuum continet significationem se diuino cultu ab omnibus prosequendum esse, se summam ad omnia efficienda vim habere, sic referenda est ad illam illustrissimam dignitatem, quam Iesus, post exaltatos in his terris labores, in coelis suscepit; propterea quod haec vale dicendo discipulis suis & tamquam mandata post suam ad Patrem profectionem obseruanda edixit (coll. v. 12. extr.). Atqui Paulus hanc Christi gloriam illustratus Phil. II, 9 sq.: *bac de cauffa Deus eum eximio quodam modo extulit, eique donauit NOME N supra omne nomen h. e. optimam maximam dignitatem, vt IN NOMINE IESV, huius dignitatis cauffa, omnes GENVA FLECTERE debeant quicunque in coelis, in terris & subter terram sunt, & omnis lingua profiteatur quod DOMINVS sit Iesu Christus, IN HONOREM DEI PATRIS; vbi quidem nomen Christi planissime exprimit eius dignitatem & gloriam. Iam in locis iis, quibus Iesus iubet orare *in nomine suo* de eodem, ut diximus, cultu suo & adoratione, de eodem in omnia imperio loquitur, iisdemque in locis dicit: fore, ut, cum audierit preces in nomine suo, gloria Patris per Filium illustretur (Io. XIII, 13. ἵνα δοξασθῇ ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ); praetermitto similia Io. XVII, 1. 2. Matth. XXVIII, 18-20. Itaque vel sic intelligitur: in isto nomine Christi, in quo s. propter quod orare debemus, esse significationem summi honoris Christo concessi postea quam redemtionis humanae negotium in his terris confecisset; quod planissime consentit cum sensu eo quem huic formae tribuendum esse diximus.*

Sed audiamus quae contra afferre soleant. Principio vntuntur vsu loquendi, per quem *in nomine* saepe numero sit id quod loco alterius fiat, nec nusquam nomen Christi adhibeatur

¶ ¶ ¶

pro doctrina disciplinaque Christiana. Quod facile agnoscimus, quo tamen nihil efficiatur nisi posse sic intelligi, sed, vbi varius sit eiusdem formae sensus, plus quaeritur, quis verior sit sensus? Eam quidem vim, quam diximus formae illi, quae venit in disputationem, inesse, planam factam speramus: qui contra nituntur, nondum demonstravere: in illa verborum coniunctio ne alium sensum iisdem verbis subesse posse. Neque magis series verborum Christi in triplici loco Euangeli Ioannis dissentientium rationem confirmat, cum eidem contexto & nostra ratio consentanea reperiatur. At Christus Apostolis hanc nouam Dei innocandi formam praescripsit! Reete. Solisne vero? Id quomodo decebitur? cum & priuatis praeceptis loci communes ad vniuersosque pertinentes immisceri possint, & huius generis infinita exempla sacris in literis existent. Sacrae coenae, vt hoc vnamur, celebrationem Christus non nisi Apostolis commemoravit, igiturne ceteros Christianos ab illa solemnitate exclusit? Sed eam aliis in locis per Apostolos ceteris quoque discipulis commendauit! Atqui per eos & preces & gratiarum actiones in nomine Christi ceteris iniunguntur, vt Ephes. V, 20. & alibi. Quanquam si vel solis Apostolis Iesus hoc Dei inuocandi genus praescripsisset, num inde sequeretur non hoc voluisse eum: vt audiendas a Deo preces, propter Iesum, propter beneficia illis ab eo conciliata, flagitarent? Quid porro haec popularis interpretatio precum in nomine Iesu abhorrens vel ab ipsa rei natura vel ab aliis doctrinis contineat? Vsui volunt eam repugnare, neque enim experiendo nos discere omnia audiri, quae sic h. e. ad Christi meritum prouocando, s. per eius fiduciam, rogantur. Quid igitur facient locis iis, qui eandem sententiam, non Apostolis, sed omnino omnibus Christi discipulis, repetant, veluti Io III. 22. ὁ τὸν διάμενον, λαμβάνοντες πᾶς νῦν, plane ut Io. XVI, 23: ἡσα ἀν αἰθόντε τὸν πατέρα ἐν τῷ οὐρανῷ με, δῶσαι ὑπὲν. Illane refecabant ad viuum? non audebunt cautionem substituere: si quidem ea fieri possint, si voluntati Dei consentanea sint? Quid igit-

igitur est quod nostris in locis tracentur, quod temerarium putent infinita praecpta vel promissa circumscribere? Vera quidem Dei atque Christi fiducia non ea flagitat quae fieri non possint, quae sint Dei sapientiae contraria; temeritas haec esset, non vera fiducia; nec vacua est a modestia, nec aliena a sensu pietatis, quae conscientia sit humanae conscientiae sapientiaeque diuinæ, quae non sua postulet commoda sed ad honorem Dei omnia referat. Sed crudeles nos dicunt & importunos, qui omnes cognitione Iesu Christi priuatos, veluti gentes, proptereaque harum precum in Iesu nomine expertes, excludamus ab omni beneficio precum, quibus omnia consequantur, a promissionibus vniuersis quae ea lege sunt datae. Qua ratione nos renocant ad disputationem de horum hominum salute eiusque modo, prorsus ab hoc loco alienam minimeque necessariam. Neque enim nos, qui hos precum genus profitemur proprium esse doctrinæ Christianorum, cogimur negare illas preces alias vel audiri vel probatas vnumquam Deo esse, nisi quae hoc modo conceptae fuerint ut Iesu nomen contineant, nec nobis magis in mentem venit damnare omnes qui hoc beneficio careant, quam Adamum propter ea quod baptisimi experti fuerit. Sed agnoscimus, in hac promissione Christi de precibus in nomine suo, grande beneficium quo Christiani ceteris hominibus praestant; qualia praincipia beneficia h. e. Christianorum propria in quam plurimis dictis sacrarum scripturarum commemorantur; ut valde acutum oporteat esse, qui, quod nuper aliquis pollicebatur, hanc rem sexcentis locis refellere audeat. At nouum genus orandi est quod Jesus iniungit suis. Est certe. Enim uero neque veteris Testamenti temporibus, neque ipsi Apostoli, dum viuerent cum Iesu, orarunt hoc modo, id quod Iesu ipse profitetur Io. XVI, 24, itaque neutri cum Christi fiducia orauerint? Si colligerent ex interpretatione nostra, neutros in Iesu nomine ante hanc eius admonitionem orasse (hoc enim colligi potest e populari, quam defendimus, sententia, non, quod ne Christi quidem h. e. Messiae nomine preces obtulerint Deo,) si igi-

tur ita colligerent, maculam Apostolis ceterisque in V. T. adspersam non videremus. Hos enim, et si non rudes erant cognitionis Christi & Messiae, tamen perspicuum est Iesu nostri cognitionem nullam habuisse; sed illi, Apostoli, Iesum agnouerant tamquam Christum, quamquam nondum iis venerat in mentem, propter eum inuocare Patrem; quod qui de illis profitentur non maiori eos iniuria afficiunt, quam qui imbecillam saepe nec omnibus numeris absolutam fidem iis, secundum ipsorum Evangelistarum narrationes, tribuunt. Denique non leuis alicui videbatur ratio aduersus vulgarem de precibus in nomine Iesu sententiam, quod in quibusdam libris graecis Io. XIII, 13. esset οὐδὲν αἰτήσας με ἐν τῷ ὀνόματι μου; quod ME in aliis v. 14. repetitur; neque enim intelligi posse quid sit: rogare Iesum cum fiducia in eius meritum posita. Sed & illud nobis facile ad intelligendum videtur conferentibus dicta Ebr. IIII, 15. 16. ac similia, & illud ME clarum est a quibusdam opinatae perspicuitatis caussa formatum esse ad illud quod sequitur: ἐγώ πωντω, pariter atque alii, ut Vulgatus interpres, definiendi caussa pro ME adiecerint: τὸν πατέρα.

Teneamus igitur, CARISSIMI, hanc illustrissimam ac pretiosam promissionem Domini nostri Iesu Christi, quam in coelum reuerurus nobis tanquam aliquod pignus amoris ac benivolentiae suae reliquit. Quae quidem beneficium supra quam dici potest magnum continet. Neque enim cupiditatis alicuius vanitate aut amore proprio occaecati speramus, nos a Deo, quaecunque rogaerimus, esse consecuturos, sed eius rei fidem fecit ipse Filius Dei, qui veritatem a se dictorum tot miraculis, ipso quoque suo e mortuis reditu, confirmauit. In omni dolore, in animi angustiis inopaque consilii, vbi sic haesitando deliberandoque distrahitur animus ut nullum exitum nec, quo se vertat, videat, magnam consolationem affert cogitatio: aliquem esse amicum, ad quem confugiamus, qui opera, qui consilii, qui misericordia certe sua, tamquam fomentis dolorum, animo laboranti medeatur; & vel

sic

sic tamen ab eo consilii atque opis et ipso experte saepe medicinae nihil, saepe ne allecationis quidem aliquid, afferri potest. Sed hic quidem Dominus noster Iesus Christus non modo certissimum aduersus omnes dolores remedium in precibus cum sui fiducia adhibitis monstrauit, sed et ipse se nobis praesto futurum confirmauit: *quodcumque ita rogaueritis, ego faciam.* Nec est quod de veritate tam praeclarae spei dubitemus, cum tot pro nobis labores molestiasque suscepere, cum, miseriam imbecillitatemque humanam & ipse expertus in his terris, Patri suo & nostro magno cum clamore et lacrymis preces obtulerit, nec modo senserit inopiam humanam necessitatemque ad preces vnicce confugendi, sed etiam acerrimo misericordiae erga nos sensu moreatur, nec tantum velit sed quoque possit nobis laborantibus succurrere, propter ea quod eius potestati & imperio omnia subiecta sint. Ad eum igitur, per eumque ad Patrem, vera fiducia accedamus, neque patiamur nos auferri sermonibus eorum, qui, quanquam discipulorum Christi nomen prae se ferant, tamen, etiam sine Iesu Christo, Deum nobis propitium futurum, Dominumque nostrum non nisi doctrina & exemplo aditum nobis ad Dei gratiam fecisse, profitentur, non animaduertentes se vel impieratis eum arguere, qui quacunque in causa nos ad se confugere, a se ipso auxilium & petere precibus & exspectare iussent. DEVS hos dies, qui memoriae redditus Iesu Christi e mortuis sacri sunt, celebratos vera pietate in se & amabilem Domum nostrum pro nobis cruci affixum, atque unicum praesidium nostrum ac decus, clementer forturnet! P. P. in academia Halensi pridie dierum festorum Paschalium A. C. MDCCCLXXIII.





I6 2205

ULB Halle  
004 716 302



3

A

R

40



B.I.G.



I O. A V G. N O E S S E L T I

D E


P R E C I B V S

IN N O M F N E I E S V C H R I S T I

DISPVTATIVNCVLA

AVCTORITATE ACADEMIAE FRIDERICIANAE

S C R I P T A.



HALAE  
FORMIS HENDELIANIS.

M D C C L X X I I I .

